

dum Germanicum ius, scriptum iuxta et non scriptum, diligentia scrutati sunt incredibili ac velut postliminii iure in fora et vsum reuocandum esse contenderunt. At vero, si quid forte ea res ad me hominem practicum pertinet, complures suppetunt rationes, quare leges Romanas non paucas prorsus in succum ciuitatis Germanicae iam versas cumque patriis varia ratione commixtas et confusas penitus extirpari vnquam posse rem habeam desperatissimam.

§. II.

Quippe quae vbiuis patriae locorum etiam nunc meli sunt, tabulis et signis illarum in foris vbiunque propalam collocatis. Contra statutis Germanicis maximam partem etiam nunc abditis atque abstrusis. Votum, ante omnia haec in lucem protrahi. Quo non facto systema iuris Germanici omnibus numeris absolutum expectandum non est,

Deinde longe lateque in vniuersam, qua patet, Germaniam Romana se insinuarunt placita, neque prouincia aut vrbs, aut oppidum, aut municipiolum, aut vicus inuenitur, vbi isthaec non sint pro neētare. Cuius rei causam non temere in Acadēmiis, in quibus inde ab earum origine ius Romanum expositum est addiscendum omnibus, viri docti coniecerunt. Contra vel interclusa et recondita vel aerugine obducta et vetustate trita vel peregrinis legibus interpolata vel prorsus antiquata atque oppressa ac profligata maiorum instituta animaduertimus. Adeo vt, si quid video, ad restituendam instaurandamque iuris Germanici antiqui et medii aevi notitiam non parum conduceret, si tot prouinciarum vrbiumque statuta ante omnia publici, quod semper exoptavi, fierent iuris, suis quaeque aeuīs ac temporibus distincta. Non desunt, qui hac immortalī opera nobis praeiuerunt, inter quos, quantum ad antiqua attinet iura, eminent Heroldus, Lindenbrogius, Siccama, Pithoei, Bignonius, Baluzius, Leibnitius, Eccardus, Gaertnerus, et alii. Quorum vestigia si premerentur cum cura et prudentia, haberent tum omnes, vnde, velut ex ipsis fontibus, vel harmonias et conuenientias vel differentias statutorum tam variorum haurire possent.